ORATIO
IOANNISBAPTISTAE ADRIANII
HABITA IN FVNERE COSMI MEDICIS

Magni Etruriæ Ducis.

CVM LICENTIA, ET PRIVILEGIO.



FLORENTIÆ
Ex Officina Iuntarum.
M D LXXIIII.


COS · MED · MAGNVS · DVX · ETRVRIA

ORATIO IOANNIS BAPTISTAE ADRIANII

HABITA IN FVNERE COSMI MED. Magni Etruriæ Ducis.

REM grauem, magni exempli, magnaeq; admirationis tuo iussu DVX Magne hodierna die facere aggredior; vt in hac pompa celeberrima laudem COSMVM MEDICEM, operum maximorum, gloriaeq; insignis auctorem, magnum Etruriæ ducem, patrem tuum, principem omnium non solum, quos nostra ætas tulit præstantissimum, sed cuius in omni antiquitatis memoria similem non facile inueniast: Rem inquam grauem (optime Deus) atq; omnium grauissimam. Tot enim, ac tanta ea sunt, quæ in eo iure laudari possunt; vt verear interdum ne ante vires me, & memoria deficiant, quàm minimam illorum partem attigerim. Quocumque enim animus se vertit, quo memoria recurrit, quo oculi incidunt, omnia de eo non solum præ-

clara, & laudabilia, sed admirabilia etiam mihi se offerunt. uerumtamen non solum clarissimarum rerum amplitudo, & numerus in hoc pietatis munere obeũdo mihi obstant, sed ingenij tenuitas tãto oneri impar, vester conspectus Principes amplissimi, Oratores nobiliss. Magistratus clariss. atq; haec vndiq; circumfusa multitudo me deterrent. atq; illud, quod quemuis eloquentissimum virum; & constantissimum de omni mentis statu deiciat lugubre hoc spectaculũ, mœsta, atrataq; cohors, tuus FRANCISCE Dux magne luctus, regia illa imago, quae quot gerit verae, solidaeq; virtutis indicia, tot animo, intimisq; sensibus acerbissima infligit vulnera. huc accedit nobilissimae gentis, ampliss. Ciuitatis Etruriae regni (verius dicam) totius Italiae, christianaeq; relligionis calamitas. quae summum suae dignitatis auctorem, optimum parentem sapientissimum gubernatorem, eximium decus, fortissimum propugnatorem desiderat. quibus publicis dãnis ita perturbor, vt meã, propriamq; cladem, qui optimi patroni, meaeq; dignitatis auctoris interitu omnia amisi vix sentiam. Sed in tanta rerum acerbitate vnum illud me praecipuè consolatur, quod animo iã longe prospicio, mihique videre videor eum, quẽ vita mortali functum hodie lugemus, quem semper desiderio prosequemur, in omnium mortalium memoria semper vigere, perquè omnium ora omnibus seculis volitare, & beatissimas illas sedes, ac sempiternas, quae pijs, beneque de humano genere merentibus debentur incolere, vnde nos nunc respicit; mihiquè suas laudes recolenti etiam adest.

Is enim ille fuit, eaque illius studia, virtutes, factaq; extiterunt, vt nobilissimorum operum, verarumq; virtutum exempla, regendorumque populorum rationem, omnisque honestissimi studij imitationem ab eo petant necesse sit, qui aliqua honestate ducuntur; & illum suis meritis, officijsque dignam mercedem à Deo optimo maximo accepisse oporteat. Vtinam autem, quemadmodum ea, quæ me dicere oportet verissima esse intelligo, ita mihi oratione consequi liceat: quamuis hoc quidem vix optabile sit. quotus enim quisque quamuis eloquentissimus, magnaque memoria vna die illa omnia oratione complecti possit, quæ me breuissimo temporis spatio percurrere oporteet? Enitar tamen, sed summa tantum carpam. Illud autem in primis optimi viri mihi monendi estis, vt quotiescumque de hoc nostro aliquid me dicentem audietis semper maius; quam quod verbis explicatur vobiscum animo cogitetis. hæc enim magnarum rerum natura est, vt quæ ab animo optimo, beneque instituto proficiscantur, extra semper minora appareant; & verbis explicata, auribusque percepta inferiora videantur. Nullis enim verbis, nulloque artificio res præclara tam ornari, quam propria luce fulgere potest. Nos vitam optimi principis, quæ vndique est laudabilis nude, sincere, sine fuco explicabimus atque ante oculos exponemus. Vos singula, quæ à nobis dicentur ex sua dignitate, grauitateque perpendetis. Hanc enim veram germanamq; optimi

principis laudem esse putamus, atq; illius moribus consimilem. qui in omni vita rebus praeclaris gerendis veram, atque expressam gloriam consequi, quam verbis adumbratam illius imaginem aucupari semper maluit. Quod si admirabilia haec, & vix credibilia quibusdam videbuntur, quod secus esse non potest: ego enim qui illa mecum in memoria relego, qui pleraq; illorum vidi, quibusdam etiam interfui, satis sanè mirari non queo, ij secum animo reputent quanta illa, & quam pulchra in animo generoso, rerumq; maximarum feraci fuerint, tunc profectò intelligent qualis, quantusq; COSMUS MEDICES fuerit. Vos, vos appello clarissimi viri. qui aliquando illius ministri, animiq; sapientissimi interpretes fuistis, illoq; praeeunte res maximas tractastis, vos mihi horum, quae dici oportet testes volo. Vereor enim ne pleriq; haec à me fingi, auribusq; principum virorum dari, laudandiq; consuetudini existiment. Sed vestro testimonio fretus iam ad ea aggrediar, quae huius propria sunt, quem mortuum lugemus, multorum adhuc vigenti, aut certè non refragante memoria. Illud autem primum in hoc Principe laudando mihi maxime laudabile occurrit quod ea, quae ad caeteros mortales decorandos, ornandosq; aliunde vocari solent, illa omnia ab eo se illustrari, nobilitariq; intelligunt. ipsa enim prouincia Etruria, quamuis multis nominibus celebretur, quod antiquissimis temporibus multis seculis magnae Italiae parti imperitauerit, quod Galliam cisalpinam expulsis hostibus

bus vsq; ad Alpes coloniis occupauerit, quod mare superum, atque inferum a se nominauerit; quod Reges, populosq; fortissimos procreauerit, quod nunquam externis nationibus seruierit, quod cum acerrima Romanorum gente continenter pro libertate longum tempus fortissime bellum gesserit, quod ea deinde in societatem adscita potuerit Romanus populus vniuersum penè terrarum orbem subijcere, maxime tamen gaudet hoc tempore maximoq; decori sibi esse censet, suosq; honores multis modis sibi debitos referri, quod COSMVM MEDICEM *viderit a se procreatum, suisque opibus fultum, propriaque virtute nitentem breuissimo cursu ad regalem apicem ascendisse. quid de patria hac florentissima loquar? quæ non tantum se iactat, quod a Romano populo originem duxerit, quod externis nationibus, atque alienigenis numquam seruierit, quod late imperium propagauerit, quod armis, opibus, viris, nobilissimisq; artibus semper claruerit, quam quod lumen hoc in totum terrarum orbem effuderit. quo ipsa Italia suis dotibus, per se satis illustris magis magisq; illustraretur. quid de clarissima* MEDICVM *familia? quæ suis virtutibus, ciuilibusq; opibus, populiq. beneuolentia ad culmen ciuilis dignitatis euecta, quamuis multa habeat, vnde merito celebretur, nihil est tamen in omni gente, de quo magis, & iure optimo glorietur, quam quod postremis his temporibus in maximo ciuitatis, atque adeo ipsius Italiæ periculo e sio sinu hunc principem dederit, cuius sapientia, & fortitudine*

titudine factum est, vt constituto ciuitatis statu, hostibus profligatis, Florentina ciuitas, atq. omnis Etruria suis bonis ociose, tranquille sine vllo hostium metu perfrueretur. vidit quidem auorum, patrumq; nostrorum ætas principes in ea familia viros Italiæ lumina Cosmum illum priscum, Petrum, Laurentium illustres quidem, & inter reliquos ciues insignes, tum Leonem Decimum, Clementem septimum Pontifices ex eadem gente maximos. quorum opera egregia quidem illa fuerunt, & laudabilia, sed haud cum hoc, de quo loquimur conferenda, quod res ipsa paulopost indicabit. Sed ad hunc, de quo loqui instituimus propius accedamus. Hoc quidem inter omnes constat, & re, & ratione plerumque comprobatur, e generoso semine, bonisq; parentibus optimos filios procreari. Ex eadem enim Medicum stirpe, quæ clarissimorum virorum seminarium fuisse perhibetur, iampridem a IOANNE Cosmi prioris patre, Laurentio eiusdem Cosmi fratre auctore, altera familia ducta est altera opibus, suaque modestia, specie quidem humilior, sed animis, & generositate non inferior. In qua optimi ciues ex antiqua disciplina ciuitatis, publicæq; dignitatis amatores extiterunt. ex hac fuit Ioannes auus huiusce COSMI, quem nunc lugemus, semper desiderabimus: fuit inquam Ioannes qui primis suæ iuuentutis annis, cũ Galli in Italiã irruperunt, durissimis Reip. temporibus patriæ optimã operam nauauit. hic miseratus afflictas opes Catherinæ Sfortiæ; quæ duarũ in Flaminia vrbiũ imperio deiecta erat, & nobilitatẽ generosæ

fæmi-

fœminæ, & magnos animos admiratus viduam duxit vxorem. ex qua filium suscepit eodem nomine; ipse interea iuuenis mortuus est. qui filius, vt generosis parentibus procreatus statim adolescens ægregia nobilitatis, & fortitudinis cuiusdam heroicæ indicia præbuit. Cuius virtutem suspiciens Iacobus Saluiatus magna nobilitate, & ciuilibus opibus, qui Lucretiam Laurentij Medicis filiam Leonis Decimi Pontificis maximi sororē in matrimonio habebat, Mariam filiam ex multis specie, & eximia virtute insignem illi vxorē dedit. ex quo coniugio paulopost hic COSMVS est editus; quem illi quidem nomine prioris Cosmi appellarunt. quod pie ab illis cogitatum, vt prestantissimi ciuis, & patriæ parentis publico decreto appellati memoriam referrent altiori consilio & quasi diuino factum res ipsa indicauit. Hunc enim quem COSMVM vere appellarunt columen patriæ, firmamentū Etruriæ, decus Italiæ, & totius orbis terrarum fore ornamentum significarunt. Esset hic locus nobilissimi proceres, vt aliqua ex multis de Iohanne patre à nobis dicerentur: sed tot illa sunt, atq; ita egregia, quæ in militia edidit facinora, vt difficile sit pro dignitate pauca referre. Nec.n. alium inuenietis, qui paucioribus annis toties manus conseruerit, toties hostes superauerit, tot munitas vrbes expugnauerit, parua manu maiores hostium copias profligarit. qui adolescens equestrem militiā Dux exercuit; mox Italorum fortissimorum militum legioni præpositus italicam gloriam in rebus bellicis, iamdiu iacentem non solum excitauit, sed confirmauit, atq; auxit.

Qui si diutius vixisset, ea sunt hominis virtus, ea in illũ fortissimorum militum propensa voluntas, ea tractandorũ armorũ peritia, ea in maximis Italiæ calamitatibus, barbarorũq; incursu occasio, vt facile illi fuerit, cõsentientibus omnibus bonis, consuetibus ad illũ fortissimis militibus Italiã à multis incommodis, & cladibus, quæ illã deinde diuexarunt, liberasse. In quã curam cum incumberet acrius, hostesq; crebris prælijs fatigaret, quomodo illos vinci eo tẽpore maxime oportuit (proh dolor) tormẽti minoris vulnere prima iuuẽtute moriens illis transitũ faciliorem reliquit. (Nos miseros) quanto deinde auxilio caruit Italia? quãta gloria nostra militia? quãto psidio christiana resp.? nemo.n. postea inuentus est, qui italicũ robur tam bene regere, pro dignitate ductare, dispersam natione cogere, & congregare, aut scierit, aut potuerit. Sed tamen nõ pessime nobiscũ est factum. eius.n. virtutis quam oẽs interisse existimabant semina in filio, quem non multo post salutẽ, & gloriam patriæ afferre oportebat, nobilissima stirpe ingenita relicta sunt, quæ per aliquod tempus delituerunt. Puer.n. COSMUS fortiss. patre orbatus sub custodia lectissimæ matris, generosi animi, & dignitatẽ familiæ, & rem, & decus paternum seruauit. vt optimis artibus interea erudiretur, & ea omnia, quæ nobilissimũ adolescentẽ decent, & ad gloriam, & ad maximas res natũ ex domestica scilicet disciplina cõpararet. quæ ætas purissime ab illo peracta, omnium ciuiũ ora in se cõuerterat. Nulla.n. virgo sub custodia seueræ matris tam integra, tam incorrupta, tam castis moribus vi quam fuit atq; is, qui longe

ab

ab omnibus vrbanis voluptatibus, in quas illa ætas procliuior esse consueuit, litterarum latinarum & græcarum studiis incumbebat; aut si rustico ocio aliquando oblectaretur venatu, piscatuq; sibi indulgebat. Interea graue illud facinus, & ciuitati periculosum ab illius consanguineo est editum, periculumq; erat ne nobilissima ciuitas in aliquod graue malum incideret; tunc in maxima rerũ perturbatione, cum principes ciues Duce amisso quasi tenebris circumfusi non satis dispicere possent quomodo labentem ciuitatem substinerent, illis diuinitus ob oculos lumen nobilissimi adolescentis ex eadẽ Medicea familia est oblatum, qui vnus Reip. morbos omnes sanare posse videretur. illum.n. in Principem suæ ciuitatis delegerunt, illi auctoritatem Reip. gubernandæ, regẽdæq; tradiderũt: quod factum illorum sapientiam, & COSMI nobilitatẽ & virtutem omnibus palam fecit. censuit.n. sapientissimorũ ciuium ordo vnum hunc labenti Reip. præterea neminẽ auxilium ferre posse: quod quidem illos minime fefellit. vix.n. credibile est in adolescente duo de viginti nõ amplius annos nato, qui antea nullum vnquam publicum munus per ætatẽ attigerat, ac ne cogitauerat quidẽ, quanta statim omnium rerum mutatio sit facta, inq; eo illud est confirmatum, quod à sapientissimis auctoribus memoriæ est produum, magnas habere vires ex generoso semine esse procreatum. Ut enim Princeps Reip. est appellatus, salutatusq;, cæteris omissis ciuitati confirmandæ; quæ grauissimo illo casu concussa erat se totum tradidit; in qua multi erant rerum nouarum, & immoderatæ

libertatis cupidi. Magistratibus .n. tum vrbanis, tum ijs, qui prouincijs, & municipijs praeerant, quarum nonnulla iam intestinis seditionibus agitabantur, alia spe nouarum rerũ arrecta erant statim imperauit, vt ex antiquo instituto ius dicerent, omnibus optima omnia pollicerentur; nihil in Rep. nisi personam Principis esse mutatum significarent. Cumq; multi ciues varijs locis à prioribus magistratibus ablegati exulare coacti essent, omnes in patriã reuocari, & ciuitati restitui, qua deiecti fuerant, decreto publico voluit. quo facto multorum sibi beneuolentiam conciliauit. Restitutis enim patriae ciuibus ex aequo omnibus libertate, ciuitateq; fruendum esse ostẽdit. Sed erat nihilominus in vrbe magna animorum perturbatio. multi etiam foris erant potentiores, qui consilium initum de principatu COSMO dando improbaturi videbantur, & ciuilibus armis se remp. nondum constitutam conuulsuros minabantur. Illud etiam pergraue, & Reip. & libertati periculosum id temporis accidit. Arx enim, quam paulo ante Alexander Medices in vrbe cõstruxerat, quam COSMO tribui statim oportuit, ab Alexãdro Vitellio, qui armis ciuitatis praeerat occupata est, & CAROLI V. nomine suo praesidio eã se defendere profitebatur. Quod iis etiã fecit, qui arci maritimae, portuq; tuendo ab eodem Alexandro praefectus fuerat. COSMUS igitur cum multis vndique difficultatibus impediretur, consilio prudentissimorum ciuium, quos ille sibi adsciuerat, ad Caesarem statim misit oratorem rogatum, vt communem causam tueretur se-

enim eadē fœdera, quæ cum ciuitate illi fuerant, eademq́ officia esse obiturum: fore enim non minus se Principem, vt Florentinorum opibus ad comunes hostes repellendos vteretur. Iam.n.auditum erat Romæ, & alibi quosdā ciues esse commotos, Florentiamq́ aduentare; periculumq́ erat ne ex ciuili dissensione ad arma veniretur. milites igitur atq́ arma parare, Cæsarianisq́ opibus, quæ illi statim præstò fuerunt, fultus minas aduersariorum negligere. Quo tempore difficile dictu est quot, quantisq́ angustijs vndiq́ premeretur. In vrbem .n. confluxerant omnes penè cæsarianæ factionis Principes, qui opulentissimæ ciuitatis imperio, atq́ opibus inhiabant: res pecuniaria in Ciuitate cōmota difficulter explicabatur. ille tamen multa prudentia nitens, & publicæ beneuolentiæ inprmis studens omnibus satisfaciebat; ex æquo omnibus sua iura impertiebat, conabaturq́ omni studio eò rem deducere, vt quod sibi vtile, atq́ honestum esset, idipsum Ciuitati, municipijs, omnibusq́ populis sibi subiectis vtile, atq́ honestum videretur. Qua re breui est factum, vt beneuolentia publica, miro quodam modo potiretur: quod paulopost ab omnibus aperte est cognitum. Cum enim quosdam factiosos ciues aperte bellum moliri, copias parare, Florentiam armatos contendere auditum esset, tantum studium omnis penè populi in COSMO colendo, auxilijs fulciendo, pecunia subleuando fuit, vt quod diuinitus factum multi existimarunt, nullo penè negocio hostes ad Montem Murlium breuissimo tempore à Cæsarianis auxilijs, Florentinoq́ milite, victi profligati plu-

res

res ex his capti sint; & pene omnes auctores tumultus in potestate COSMI, quem pauloante eludere, & pro nihilo habere solebant deuenerint: Quo loco admirabile dictu est cum nuncio audito COSMUS ad Deo gratias agendum templum adisset, quanta ciuium multitudo ad illum salutandum confluxerit, & ad Deo de victoria gratulandum, & quam totius populi lætis acclamationibus exceptus sit. ac iure quidem. Ille enim dies maximorum bonorum principium fuit, atq; huic ciuitati, ipsiq; Etruriæ salutem attulit. instabat enim hinc, atq; inde periculum, ne prouincia hac diuersis factionibus, quibus iam laborare incœperat, externisque armis laceraretur, & distraheretur. Nunc adolescẽtis principis prouidentia, atq; constantia, primisq; illius auspicijs, & paucorũ pœna, malum, quod serpebat latius compressum, atq; adeo extinctũ est. Operæpreciũ est audire quanta modestia, quãta mansuetudine, atq; adeo misericordia in victoria sit vsus; multi .n. ex captis grauissimã pœnam remisit, alijs indulsit, quosdã dimisit. Hinc aũt longe expeditior gubernãdi, regendiq; imperij ratio est facta: magnam .n. illi victoria auctoritatem attulit: Multi qui nouarũ rerum spe arrecti erant in officio permanserunt, consentiente præsertim ciuitate, cuius opes in Italia maximæ habebantur. Ipseq; Cæsar virtutẽ, fortunamq; principis admiratus multũ in illius prudentia spei ponere incœpit, illiusq; opes atq; arma sibi maximo auxilio fore existimauit. COSMUS igitur ingenti illa cura leuatus, totũ se in administrationẽ reip. tradidit; ritusq; illos reip. pri-

scos, consuetudinemq; in distribuendis honoribus, magistratibusq; mandandis, omniq; Rep. temperanda non solum retinuit; sed diligentius digessit, utq; sine ulla fraude fieret summa diligentia cauit, ita tamen, ut ij, quos nobiliores urbes regere, muneraq; in rep. maiora obire oporteret, suo principumq; ciuiũ iudicio, atq; arbitrio relinquerẽtur. Iam vero quod antea negligentius factum fuerat publicas pecunias, omnemq; illarum rationem, quibus praecipue imperia nituntur, ita nouit, ita perspectã, cognitamq; habuit, atq; expeditã, ut nemo paterfamilias in re sua familiari tuenda tam fuerit, atq; ille accuratus. & quod in regendo imperio, jureq; dicendo praecipue fieri oportet, homines sapientiss. qui communia, propriaq; ciuitatis iura optime callerent, quique alijs iudicio, atq; acie ingenij praestarent apud se habuit, quorum consilio grauissimae causae, litesq; publicae, priuataeq; dijudicarentur, deciderenturq; quamuis ipse iuuenis fuerit naturali quadam aequitate imbutus, ut multo melius saepe uno versiculo res inuolutas explicaret, quàm multis paginis ij, qui in eo genere sapientissimi habebantur. Multa hoc loco consulto praetereo. ad maiora enim oratio properat. malo .n. ex his, quae euenerunt, quae omnibus admirationi fuerunt, semperq; erunt, qualis, quantusque hic noster Princeps fuerit, quam illius singulis factis, institutisque referendis cognosci. Quae enim omnibus sunt palàm maiorem habent admirationem; haec in arcanis animi latent, & quod non ita apparent, non aeque fides illis habetur, nec mouent; recte autem facta, & semel,

& crebro iterata consilia optima fuisse demonstrant. Cum autē nihil illi antiquius esset quàm suis ciuibus morem gerere, qui nihil magis cupiebant quam vt ciuitatis status quam maxime fieri posset confirmaretur, id autē filijs procreandis, qui imperio succederent optime euenturum ad Eleonoram Petri Toletani Principis in Hispania viri, tunc regni neapolitani proregis, consilijsq; Cæsaris, atq; animo intimi filiam applicuit animum. quamuis multi essent tunc Principes, qui sibi illum generum postularent. recte .n. factis, beneq; regendo imperio maximam de se commorat expectationem; vt Reges omnes, omnes Resp. populi omnes, cuncti demum mortales ab illo oculos nusquam deicerent. Illam igitur duxit vxorem; quod maximo vsui sibi illam affinitatem etiam fore putabat, & propter regni neapoletani opes, & copias, & propter Soceri prudentiam. ille enim penè solus eo tempore sua auctoritate res hispanas in Italia sustinebat. Quæ nuptiæ plenæ dignitatis, sempiternæ concordiæ, & optimus auspicijs fuerunt. Si quidem quod primum mortales coniugio quærunt, pulcherrima, & venustissima sobole, copiosaq; Eleonora virum beauit. quem sibi, & illo; & formæ dignitate, & morum suauitate, amoreq; mutuo ita deuinxit, vt nihil in toto terrarum orbe magis celebraretur quàm COSMI, & Eleonoræ coniugium. Plurimos filios peperit, primo partu puellam venustissimi oris, pulchritudinisq; eximiæ, secundo marem, sub cuius imperio nunc omnis Etruria beatissimé conquiescit, alios subinde ea venustate, atq; oris specie; vt hac

vna re omnium Principum fortunas superare COSMUS videretur. Principis autem filij ortus optimã patri spem attulit; quod Cæsar illi pollicitus fuerat, fore vt arces breui recuperaret. cui rei optimam ipsa tempora etiam præbuere occasionem, & spectata COSMI fides, & plurima in Cæsarem collata beneficia. sua enim auctoritate, atq; opibus Senas vicinam vrbem, quæ ciuilibus discordijs fluctuabat, periculumq; erat, ne à Cæsaris auctoritate aliquando desisceret, in officio continebat; eaq; omnia, quæ molestiam Cæsari, cuius potentia in Italia multis officiebat, aut suspecta erat, quasi ex altissima specula prospiciebat. Quibus officijs adeo sibi illũ præpotentem principem, & acerrimi iudicij virum deuinxerat, vt cum in Belgas properans per Italiam Genuam venisset, ibiq; illum COSMUS salutasset, illius prudentiam ita est admiratus, vt arces petenti statim reddiderit; multisq; verbis ornatum à se dimiserit. & quod grauissimis iniurijs prouocatus bellum inferre Galliæ regi properabat, pecunia COSMUS militibus & ducibus illum iuuit. Quod quidem factũ de arcibus adeo Florentinis ciuibus gratum fuit, vt libentissime magnam pecuniam breui tempore expedierint, ipsum COSMUM redeuntem insigni honore, plausuq; exceperint. atq; hoc maiorem auctoritatem sapientiss. Principi adiunxit; atq; alacritatem, studiumq; ad bene de sua ciuitate, deq; omni italica natione promerendum addidit, vt nihil magis cogitaret, quàm quomodo patriam clariorem redderet, atq; honestiorem, opibusq;, & omni genere ornamen

torum illustraret, cæterasq; vrbes suæ ditionis tutas ab hostiũ impetu præstaret, & illarũ cõmodis, & saluti prospiceret. Urbem igitur antiquissimã Pisas, & nobilissimã, quæ antea incuria suorũ ciuium, & eorum negligentia, quorũ in manu fuerat penè collapsa erat, & infrequentia colonorum laborabat, quòd locus minime salubris esse putabatur, non quidẽ soli, aut cœli vitio, sed colentiũ negligẽtia recreauit. perpurgatis. n. atq; altius depressis fossis, aquisq. stagnantibus demissis, vt saluberrimus esset, multoq; fructu dominos ager iuuaret effecit. quoq; colentiũ frequẽtia melior et fieret domicilium disciplinarũ, bonarũq; artium in illã vrbẽ reuocari iussit, ædesq; amplissimas ad honestos adolescentes alẽdos publicè, qui inopia pressi per se bonis artibus operã dare non possent ædificauit, atq; omnibus rebus ad cõmode vitam degendã instruxit. Et conuocatis vndiq; magnis præmijs, gratiaq; inuitatis doctissimis hominibus, qui publice philosophiã, medicas artes, & iuris ciuilis ratione, atq; omne bonarum litterarũ genus profiterentur, magna discipulorum, honestorũq; virorum copia vrbẽ auxit, & decorauit. atq; ipse cũ omni familia, atq; aula singulis annis multos menses illam coluit. Qua cura, studioq; breui est factũ, vt nobilissimæ vrbi sua species redderetur & vt frequentia nobilium virorum, & negociatorũ, omnisq; generis hominum augeretur, atq; honestaretur. Cumq; Arnus fluuius longiori amfractu nauigationẽ ad illam vrbẽ tardiorem, difficilioremq; redderet incisis quibusdã locis, mutatoq; alueo breuiorem, expeditioremq; cursum flumini dedit. Arretiũ vrbẽ, et ipsam

nobiliss. atq; antiquissimã, multarum rerum copia fœlicẽ vt esset imperij propugnaculũ, muro validiori muniuit, & ciuiũ saluti multis modis prospexit. Iamvero Pistoriũ, cum nemq; illius sociæ vrbis ditionem cũ montanã, tùm cãpestrem intestinis discordijs, atq; adeo mutuis cædibus, et immanitate iã inueterata quasi semper sæuientẽ ita confirmauit vt honestiss. ciues sine vllo metu patria, & suis bonis fruantur, & optimi Principis institutis seruãdis se tutos, beatosq; vbiq. prædicẽt. Plura me hoc loco præterire necesse est, ad alia.n.et maiora me reuocat vestra expectatio ornatiss. viri. De toto aũt hoc genere breui dicam nullam in magno imperio esse prouinciam, nullũ municipiũ, nullum oppidum, nullum vicum, nullum dixerim locum tam vilem, atq; abiectum, quin se optima fuisse semper cõditione sub hoc Principe fateatur. Qua æquitate atque adeo mansuetudine multi ex finitimis regionibus sibi illũ principem exoptarunt. Et sanè quid ab optimo principe peti, & optari potest, quod ab hoc non sint consecuti? ab hostibus tegi, æquũ sibi ius dici, dignitate augeri, se, familiã, liberos ab omni iniuria; dedecoreq; defendi, re frumẽtaria cum sit opus leuari. Hoc est.n. quod populos beatos reddit, & suorum principũ studiosos. Nam quod ad rẽ militarẽ pertinet, quo vno prouinciæ, vt suis benis frui, et ociose degere possint egere videtur, vix verbis explicari põt quantũ in ea re studij, diligẽtiæq; posuerit: res.n. est ardua, atq; oĩum pfecto difficillima, ita aĩos armatorũ iuuenũ cohibere, ita legib⁹ tẽperare, vt iniuria abstineãt, alteri pareãt, sibi alios plãtos facile patiãtur, vt nullæ iter mili-

rixæ, nullæ maiores seditiones excitentur: Quod factũ est à sapientiss. principe; atq; ita factum, vt dignitati illius hominum generis legibus, atq; institutis prospiceretur, & aliorũ iura non violarentur; & ipse magno fortissimorum militum numero, & fideliũ, & optimo genere instructus, quotiescumq; opus fuerit, & suos fines tueri, & hostibus terrori, et amicis confœderatiśq; principibus præsidio esse potuerit. Iam vero quanta in Deũ pietate fuerit, quàm sanctè, quàm ex institutis sanctissimorum virorũ res diuinas coluerit, ita omnibus palàm est, atq; ita testatũ vt in hoc genere non multũ morari oporteat. In omnibus enim quæ ad Pontificũ auctoritatem pertinent semper paruit, se obsequentem præbuit, auxilio iuuit, suas copias, suas opes illis semper obtulit, exhibuit; ministrisq; illorũ semper paruit, suaq; omnia illorum cõmodis posthabuit. Cumq; illa Germanorum lues de christiana relligione cũ Pontifice Romano dissentientium latè grassaretur, multorumq; animos, vel errore, vel vitio inuasisset, nihil per totã vitam magis cauit, quàm ne contagione illa sui ciues inficerentur: patria.n. instituta, decretaq; seruari vbiq; semper voluit. coactusq; aliquãdo est, cũ negligentius res sacræ ab his, quorũ curæ commendatæ erant, curarentur, Pastoris officio etiam fungi. nihil.n. antiquius habuit ille Princeps, quàm pure pietatem coli; res sacras integrè, sanctéq; tractari, Deo in omnibus honorem tribui; virgines illi addictas ab omni iniuria, dedecoreq; integras seruari, ciuitatẽ ab omni flagitio perpurgare: postremo suo, suorumq; omnibus pietatis, pudicitiæ, æquitatis exemplo esse.

esse. Finem nunquã faciã optimi Principes, si referre velim quoties in annonæ caritate, reiq; frumentariæ angustijs, quod propter finitima bella & hostium classes sæpe accidit, quã oportuit, infimã multitudinem fame laborãtem pauerit, sacras virgines quæ Deo conclusæ seruiunt frumento, omniq; ope iuuerit, & illarũ cõmoda auxerit, & ciuibus inopia laborantibus multis modis subuenerit. Qua pietate (vt arbitror) factum est, vt summi Dei fiducia, & sua conscientia fretus omni periculo operto, atque aperto se semper explicuerit, hostes sæpè vicerit, de illis triumphos duxerit, amicis præsidio, patriæ saluti, & decori fuerit, & postremo maiori imperio, regaliq; dignitate auctus, vitam sanctè, piè cum maxima dignitate traduxerit. Duas .n. ille sibi vias ad verã, summamq; gloriam munierat, alteram vt Cæsari gratiam semper referret, atq; vbiq; illius rebus præsidio esset; alteram vt christianorũ hostibus, & his, qui relligionis causa omnia turbare cupiebãt se infensissimũ aduersarium semper præberet, quod multis locis, & temporibus re cõprobauit. Cum .n. ad Carinianũ oppidum quod Galli validissima manu oppugnabant collatis signis cõcursum esset, Hispanæq; acies, Germanorumq; phalanges à Gallis victæ, profligatæq; essent, magnumq; instaret periculũ, ne Cæsariani, quod vnũ maximè moliebantur Galli, Mediolano excluderentur, Petrusq; Strozza militem Italũ cogeret, breuiq; irrupturus videretur. COSMVS in tanto Cæsaris periculo suas copias equestres, pedestresq;, duce Rodulfo Balconio subsidio misit; quarum opera præcipue factũ est, vt gal-

lici hostes profligarentur, & spe Mediolano potiundi penitus caderent. Eodem pene tempore cum Turcarum classis ad herculeum portum ditionis Senensium, quem à Cæsare defensum oportuit appulisset, oppidum diripuisset, incendisset, arcemq́ tormentis æneis expugnasset, Orbatellumq́ munitum natura oppidum; quod prope erat iam Turcæ adorirentur; presto fuerunt COSMI copiæ. quæ, vt à Turcis conspectæ sunt, relictis locis quos ceperant statim abierunt. cuius etiam auxilio calamitatem, quam eadem classis inferre parabat Populonia, & Plumbinum oppidum euaserunt. Quin etiam paulopost cum Neapoli ciuilis tumultus maximus excitatus esset, illeq́ populus pene à Cæsare desciuisset COSMVS quatuor millia peditum Pisas coegit; quæ statim Neapolim classe auxilia mitterentur. quæ fama, vt peruasit aures eorum, qui tumultus erant auctores, cõcitatæ illi multitudinis fluctus statim sedati sunt; Cæsariq́ sua dignitas, atq́ auctoritas est restituta. Quibus beneficijs impulsus Cæsar quod maximam inter christianos Principes habet dignitatem ad equestre illud insigne decus aurei velleris, cuius ipse erat magister sibi sociũ, sodaleq́ COSMVM adiunxit. quod nisi opibus summis, & maxima virtute Principibus non tribuitur. Illum. n. honestissimo ordini, & honori, & præsidio esse intelligebat. quod paulopost etiam expertus est. Cum. n. audisset COSMVS germanos Principes in multis rebus Cæsari obstare, maiestatemq́ Imperatoriam conuellere, et piæ christianorum religioni obuiam ire conari, illum magna auri vi, optimoq́

equitatu adiuuit. Mox cum Genuensium res ob Fliscorum coniurationem in magno periculo essent, qui opibus Gallorum freti, possessione Italiæ Cæsarem excludere in animo habebant quanta alacritate, quo studio copias pedestres, equestres, ne illa ciuitas à Cæsaris amicitia auerteretur comparauit? Quid dicam de triremibus ad Afrodisium expugnandum missis? quod Turcæ obstinatis animis defendebant. Quid? quomodo, cum paulopost Iulius Tertius bellum cum Gallis pro Parma oppido, cui Octauius Farnesius præerat gerere instituisset, hostesque interea agrum Bononiensem diriperent, vastarentque rem Pontificis subleuauit, tutatusque est? & hostium impetum latè grassantium repressit? & Pontifici suam ditionem integram seruauit? Bononiamque vicinam vrbem à maximo metu liberauit? Interea Senis magnus tumultus est excitatus. popularis enim factio, quæ antiquitus simultates exercebat cum ordine nobiliorum ciuium, qui Reipub. administrationem: publicasque opes Hispanorum auxilio qui vrbi præsidio erant ad se trahere credebantur; cum aliquot iam ex illis interfecisset, domos diripuisset, reliquos ad internicionem necare parasset COSMI vicini copiæ interuenerunt, miseriq. ciues à manifesto periculo sunt defensi, & Florentiam adducti, & tumultus repressus. Impetrare tamen a Senensibus non potuit, vt Reip. status integer Cæsari reseruaretur. Nam præfectum illius Senenses paulopost, & præsidium Hispanorum ex vrbe dimiserunt. Qua iniuria commotus Cæsar iam contra illos

 bellum

bellum parabat, sed precibus COSMI, qui ciuitatem amicā in multas calamitates incidentem miseratus est, vix ab illo est impetratum, vt amicæ ciuitati, & proprijs seditionibus non malo in Cæsarem animo peccanti parceretur. Senensibus aūt persuasit, vt præsidium Hispanorum admitterent. sed ambitione quorundā, & malo consilio post est factū, vt in ea vrbe arx construeretur. Qua indignitate, et Hispanorū iniurijs Senenses penè omnes, sunt adeo concitati, vt ab Italis quibusdam principibus; qui Gallorum partes fouebant, sibi persuaderi sint passi: & consilium occultè inierint, coniurauerintq; de Gallis in vrbem recipiendis. Cum .n. Hispani negligentius vrbem custodirent, essentq; infrequentes, arx non absoluta, nec instructa, ciues quidā Gallorum opibus suffulti, atq; auxilio repentè tumultuario milite vrbem inuaserunt, et populo, plebeq; suffragantè Hispanos abire coegerunt. In quam vrbē statim vndiq. confluxerunt quot quot in Italia Gallis fauebant; qui omnem Senensium ditionē, præter Orbatellum oppidum, quo confugerant Hispani quidam, & portus expulsis Hispanis occuparunt, & vrbibus omnibus. atq. etiam arcibus tradentibus Senensibus Galli potiti sunt. Quibus Cæsar cum vehemēter iratus esset rogauit COSMUM vt bellum secū contra illos susciperet: quod renuit, nolebat .n. amicam Remp. perdi. Putabatq. si remissius illā iniuriam tulisset Cæsar, dissimulassetq. breui fore vt Galli paulopost sui odio ab eodē populo expellerentur. Bellum tamen Neapolitani regni opibus, atque armis per Petrum Toletanum illius regni

pro-

proregem inferri iussit. Quod quidem bellũ ita leniè, tar deue geri est cœptum, vt Gallis, qui imparati opprimi poterant ad expedienda auxilia, copiasq; parãdas sit tẽpus datum, eoq; res deuenit, vt nec auctoritate Pontificis, nec COSMI Medicis opera res componi vllo modo potuerit, & Cæsarianæ copiæ, re infecta ad regnum suum defendẽdum à Turcarũ classe reuocarentur. Quo successu Galli alacres alias res moliri parabant; auxilioq; Turcarum Iluam Insulam, portumq; ipsius, atq; arces præsidio COSMI valido quæ munitæ erant speculati, atq; inde reiecti impetũ suum in Corsicã transtulerunt, magnaq; illius Insulæ parte potiti, bellũ, multo ante meditatũ inferre COSMO gestiebant, vt necesse illi fuerit salutis suæ, defendẽdorũq; finium causa ad bellum, quod numquã antea tentare voluerat totis viribus aggredi. Cum. n. nec admonitionibus, nec precibus Senensibus persuadere potuisset, qui Petrum Strozzam receperãt, vt e suo sinu Gallos pellerent, qui illorum libertatem opprimebant, vicinosq; principes regno spoliare, ac perdere cogitabant de bello illis inferendo cum Cæsare consilium iniit. quo tandẽ Senensiũ Resp. vel inuita ad Cæsaris partes rediret. Quod quidem bellum graue, & periculosum COSMO Medici gloriã auxit. Cum. n. illius gerendi nostro principi cura demandata esset tanta prudentia, constantia, studio, tantisq; opibus rem confecit, vt paucis mẽsibus Senas, bonamq; illius ditionis partẽ Cæsari subiecerit. Quo bello, quod cum obstinatissima gente, & cum acerrimo Duce est gestum, nullum magis varium fuit. nam oppugnationibus, prælijs;

oppidorum expugnationibus certatũ est; & postremo totis viribus hinc, atq. inde copijs vndiq; ex Hispania, ex Gallia, ex Germania, atq; ex tota Italia conuocatis æquo marte concursum, victoriaq; ad illos, quorum causa erat iustior deuolauit. Nec.n. tantum de statu Etruriæ certabatur. sed de Neapolitano regno, quod paulopost inuadere Galli in animũ induxerant. ea autem victoria, omnis in Italia status Cæsaris est confirmatus. Nam Senæ longa obsidione, fameq; perdomitæ, dimisso gallico præsidio ad Cæsarem redierunt. ac non solum Senis munitissima vrbe, multisq; alijs oppidis atq; arcibus, sed portu etiam ab illis valido præsidio munito, quo maxime se Etruriam tenere posse sperabant, bellũq; renouare Galli deiecti sunt; ipseq; Strozza amissis copijs inde citissima triremi vix e manibus effugit. Quo Etruriæ finibus expulso res quietiores fuerunt. Hoc autem facto, vt antea dicebamus gloria nostri Ducis mirum in modum est amplificata. atquè eo magis, quod bellorum administrandorum laus nõ multum ab illo expectabatur. qui plerunq; domi fuerat, constituendisq; in pace ciuitatibus, legibusq; temperandis, finibusq; regendis operam dederat. Sed eximio illi ingenio, rebusq; maximis gerendis nato, atque exercitato non defuit etiam bellorum tractandorum sollertia. Nã memoria tenacissima fuit, omniaq; egregia Imperatorũ facta, omnes bellorum euentus, omnes nationum mores, omnia principum consilia, omnes aduersariorum copias, pecunias, opes, omnes locorum oppidorumq; situs tam in animo habuit, atq; ij, quibus oculis subiecta erant.

Qui-

Quibus rebus factum est, vt cum domi maneret, omnia tamen, quæ foris fierent specularetur, ac præuideret, moneretq; sæpe ipsos belli gerendi ministros quid eos facere, aut non facere oporteret. Quod cum sæpe aliàs, tum maxime eo tempore perspectũ est. Cum. n. ad Marcianum hostes sua castra nostris castris contulissent, nostriq; exercitus Duces copias inde abducere cogitarent, vetuit sapiẽtissimus Dux. breui. n. fore intelligebat, vt hostes multis incõmodis victi inde discedere cogerentur, monuitq; Mariniani Marchionem, quem suis copiis præfecerat, nimis aliquando cõmunes belli casus metuentem ne ab hostis latere vnquam recederet; atq; vt ille castra moueret, nulla mora interposita occasione optima confligeret. quod optimo consilio factum rès comprobauit. Postridie. n. illius diei totis viribus collatis signis concursum est: victoriaque pulcherrima parta, ne minimo quidem accepto incommodo, Cæsari sua dignitas restituta, salus populis data, COSMO gloria immortalis parta. Post enim illam victoriam hostes ita animis conciderunt, vt nunquam deinde aperto marti se committere ausi sint; nullumq; penè negocium fuerit oppida Senensium, partim vi, partim consternatis hostium animis recuperare. His autem rebus gestis, cum maximus omni maritimæ regioni metus à Turcarum classe iniectus esset. illa enim magno triremium numero, multaque celeritate ad defendendum Herculis Portum ferebatur. quam cum in eo expugnando COSMUS præuenisset. periculum erat, ne

 irata

irata ad aliquem Etruriæ locū incendendū, diripiendūq; magno impetu raperetur. COSMUS igitur iussit suas copias Populoniæ præsto esse, quò putabat infestā classem appulsurā, nec eū fefellit opinio. cum .n. ad Plūbini portum turcæ in terrā exisset, lateq; oīa popularetur, ipsamq; Populoniā tantum nō manu captam teneret Chiapinus Vitellius, qui armis præerat, phalange Germanica eā in Turcas fecit impressionē, vt illorū quamplurimos interfecerit, alios trepidos ad triremes nando refugere coegerit, multis interea mari absortis, quibusdam et captis. vt nunquā deinde vicinis locis se cōmittere ausa sit; & quod nusquam antea factū fuerat de immanissimis hostibus gloriosa victoria parta, omnis maritima ora à grauissima peste sit liberata. Cum aūt alijs locis Cæsaris res non ita prosperæ fuissent, induciæ cū rege Gallorum sunt factæ, quas paulopost Galli fregerunt, magnoq; exercitu Guisio Duce in Italiam misso, periculū erat ne, præsertim adiuncto Petro Strozza, cuius consilio plurimū vtebantur rursus Etruriæ bellum inferretur. hoc loco vix dici potest impeditiss. rebus, imparatis Cæsarianis quomodo COSMUS se, suasq; res expedierit: Senas Cæsari, Philippoq; Regi Hispaniæ, cui pater oīum suorum regnorū iura tradiderat seruarit, ipsosq; hostes sibi pestem molientes eluserit, ac postremo Senarū imperio, possessioneq; penè totius Etruriæ potitus sit. Tanta aūt eo tēpore opulentissimi Ducis erat sapientiæ opinio, tanta opes, tanta apud omnes mortales auctoritas, vt non solum se, suasq; res nullo penè negocio integras præstare posset, sed ad illum omnis penè Italiæ im-

perium

periũ deuolui videretur, cui se ille sociũ adiunxisset. Quare motus Henricus Gallorũ Rex, cuius magnus exercitus tunc in Flãminia subsidebat, Etruriæq. imminebat natam in matrimonium Principi filio obtulit. Quod renuit Dux. Ab amicitia.n. Philippi Regis, abduci nulla conditione volebat. Quo beneficio Philippus Rex, cum illũ iam Senarum defendẽdarũ, alendarumq; cœpisset tædiũ. multumq; COSMO Medici deberet, eum principẽ de se optime meritum, illius Ciuitatis munere, magnoq; totius ditionis Senarum imperio donauit, atq; honestauit, inquẽ ea ciuitate eodem iure, quo ille esset optimo scilicet, & legitimo esse voluit. Quo beneficio sibi COSMO deuincto facillimũ fuit Philippo Regi à Gallis, confederatusq; regnũ Neapolitanum defendere, & hostium impetum retundere, & potius eludere. Cum aũt paulopost Galli ad suum Regem, regnumq; defendendũ in maximo periculo Italia cedere coacti essent, COSMI Ducis præcipuè opera, auctoritate, consilioq; magna ex parte est effectum, vt conciliatis animis pax optima conditione Pontifici daretur. quo quidem beneficio nullũ maius in christianã Remp. vnquam collatum est. Tunc.n. non solum pontificiæ ditionis oppida oĩa, omnes copiæ, omnis ager, omnia iura, sed ipsa ẽt Roma à grauissimo periculo, quod illi imminebat defensa, ac liberata est. Hoc.n. præter cætera sibi semper faciendũ esse COSMUS proposuerat, vt christianã Rẽp. atq; ẽt ipsam Italiam, illiusq; Principes quantum fieri posset ab externis nationibus hostibusq; tueretur. Quod hoc eodẽ tempore Estenses Ferrariæ Duces experti sunt, quibus

bus Philippus Rex bellũ indixerat. Quo cũ grauius premerentur, nec diutius præpotentis Regis inimicitiã, & vires substinere possent ad Ducẽ COSMUM confugerũt, quẽ vnũ sibi auxilio esse posse confidebãt. qui ea apud Regẽ gratia, atq; auctoritate fuit, vt pacẽ honestiss. ab eo Ferrariæ Duci impetrarit, grauissimoq; onere, belloq; periculoso principes illos, prouinciãq; leuarit. Quoq; magis se cũ in familiaritatẽ Regis, atq; adeo in amicitiã eos insinuaret. filiã, quæ sibi erat reliqua Alfonso Ferrarien. Principi in matrimoniũ tradidit. atq; ita magna Italiæ pars maximo Gallorũ metu est liberata, qui ex eo tpe nusquã pedẽ in Italiã posuerunt. Cũ aũt diuturno bello graui, et vario, & multis locis in Belgis gesto Gallorũ res, opesq; essent penitus pstratæ, multi ex pceribus capti, plures interfecti, et qui reliqui erãt metu pculsi, nec Hispaniæ Rex bello victor diuturnitate illius, & rei pecuniariæ difficultate victus posset diutius bellũ substinere, atq; alere, cũ maximi tandẽ Reges in pacẽ, in fœdera, in affinitatem optima voluntate conuenissent, Gallorumq; Rex omnibus oppidis arcibusq; Senensiũ ditionis, relictis quæ obstinatis qbusdam Senensiũ animis valido præsidio defenderat, ea omnia Philippus Rex COSMO ex fœdere, quod cum illo ante percusserat, pollicitusq; erat tradi iussit. atq; ita non solum Senarum, sed sua reliqua in illum oppidorum iura transtulit, & confirmauit. Quo facto Senæ, quæ grauissimis Gallorũ, Hispanorum, Germanorumq; præsidijs diutius pressæ fuerant semper fame, semper omnium rerum inopia indignissime laborarant sunt recreatæ, omnis

nis ager, omnis iurisdictio suis ciuibus est restituta et post septem annos (tot .n. interfuerant) cum interea nihil malorum cũ a Gallis, tũ ab Hispanis militibus non perpessæ essent tandem reuixerunt. Tunc .n. primum sub æquissimo principe illa ciuitas, quæ antea factionibus, & suorũ ciuium inueteratis discordijs penè interierat, iuste, pie, honeste, secure vitam traducere, & optimis institutis parere cœpit. In qua re admirabilis fuit optimi principis volũtas, atq; ingenium. omnibus .n. iniurijs, quibus multis a Senensibus prouocatus fuerat ex animo missis omnes eodẽ loco habuit, omnes honestauit, dignos magistratibus, beneficijsq; plurimis subleuauit. Urbes illorum ditioni subiectas, oppidaq; multis modis antea diuexata ab omni iniuria publica, & priuata defendit, vtq; proprijs militibus instructa essent, & suis curauit, atq; vt vno verbo dicã (ea fuit optimi Principis sapientia, vt Senarum ciuitas, omnisq; ager seruandis optimis institutis hodierna die vigeat, & præ Italicarum vrbium conditione beatissima prædicetur. Ut aũt dignitate, atq. imperio auctior COSMUS, & opibus, quæ diuturno bello attritæ fuerant instructior, ita etiam ad melius de christiana pietate, deq. omni Italia promerendum factus est alacrior. nihil autem magis princeps ille cauit, quam ne bella, tumultusq; qui in Italia præcipue illius opera extincti fuerant renouarentur, Pontificatus igitur illius consilio consentientibus maximis christianæ reipub. principibus ad Pium Quartum est delatus, quem vnum omnium pacem cupere, & Reipub. christianæ statum penè collapsum

lapsum subleuare, atq; Italiã ab omni tumultu tutã præstare posse oẽs credebant. Quod optimo consilio factũ fuisse res ipsa paulo post significauit. Cum. n. Germanica illa lues in Gallia multorũ aĩos inuasisset, opesq; opulenti illius regni principum virorum animis, atq; armis dissidẽtibus pene concidissent, quod vnũ videbatur grauiss. illi morbo præsẽns remedium sinodus vt cogeretur Tridentũ instituit, vt quæ vere, pieq; de christiana relligione sentiri oporteret, quomodo Deũ coli, quibus institutis personas sacris addictas vti sanciretur. atq; oĩa hæc ex consilio sapientiss. principis, qui quo proprius rẽ ipsam perageret, Romam ad Pontificem salutandũ profectus est. Qua in vrbe, quæ semper sapientiss. hominum copia floruit, vix dici potest quantum oĩbus illius prudentia, modestia, pietas, auctoritas, eloquentia, mores, species deniq; illa imperio digna miraculo fuerit, vt Roma, per se satis oĩbus sæculis clara, præsentia sapientiss. Principis maxime illustraretur. patres aũt illi, qui Reip. christianæ præsunt quiq; hominibus probandis, rebusq; gerendis acerrimi perhibentur sapientiorem Principem & magis omni decore, imperioq; dignum se vidisse vnquã affirmarent neminem. Interea cũ Philippus Rex bellum Turcis in Aphricam inferre decreuisset, classemq; magnam ex omni Italia, insulisq. coegisset, eo quatuor triremes optime instructas auxilium misit COSMUS. Sua. n. arma, suas copias, atq. opes semper Turcarum nationi infensissimas esse voluit. Quod quidem bellum infælicıter gestum christianorum opes afflixit, duæ ex Florentinis triremibus captæ. Nullum tamen

men deinde bellũ cum christiani nõis hostibus est gestum a quo Florentinor. & Senen. Ducis auxilia abfuerint. perpetuas.n.inimicitias cũ his,qui christianã Remp.con uellũt exercuit. Quoq; hoc melius pstare posset collegiũ e nobiliss. iuuenibus confecit,quos equestri dignitate,militiaq; voluit esse insignes, ijsdẽ,quo honestius vitã traducere possent dotes ascripsit, Pisis sedes dedit, triremes adiunxit,nullumq; aliud illorũ officium esse voluit, quã vt piè Deũ colerent,& cum christiani nominis infensiss. hostibus ppetuum bellũ exercerent. Quin ẽt quo maiori auxilio ijs essent,qui cũ illis bellũ gererent,magnum ipse triremium numerũ struxit;atq; idipsum vt facerent põetio ribus,principib⁹ auctor fuit. viã,& rõnem illarum ornandarum,atq; alendarũ ẽt docuit. qua vna re fieri posse ostẽdit,vt opulentiss. cõis hostis copiæ vinci,ac profligari possent. Quod non multo post res ipsa oĩbus palã fecit, cũ ad Echinadas insulas celebri illo prælio Turcarũ classis ornatiss. ab Iohanne Austriaco,ducibusq; Venetis.duodecim triremibus Florentinis enixè rẽ nauantibus depressa victa, profligata,et magna ex parte capta est. qua victoria nulla vnquã ætas,nec magis oportunã, nec magis clarã vidit vnquã. & quod magis in eo laudabile est,et fortasse aliàs inauditum,ex animo obliteratis iniurijs oĩbus periculisq; sibi à Gallis in suo regno illatis, cum res illorũ in magno discrimine versarẽtur, intestinisq; bellis Gallia arderet,benigne semel,atq; iterũ magno auri põdere, auxilijsq; illorũ inopiã subleuauit. Cumq; nihil magis optaret,quã vt princeps filius,quẽ regni hæredem esse opor

E *tebat*

tebat, rebus gerendis quam prudentissimus fieret, non solum domestica disciplina, suoq; exẽplo, atq; admonitionib' id facere instituit, sed spectandis aliorum principum, nationumq; moribus, & consilijs, atque institutis, quibus plerunq; homines experientes fiunt, Romã ad Pontificẽ salutandum ire iussit, mox in Hispaniam ad Regem opulentiss. officij. s. gratia visendum. cui COSMUS pluri mũ debere se fatebatur, magna nobiliss. virorũ copia, & oĩum rerũ ornatu instructum dimisit. in qua ampliss. aula vix explicari verbis potest quantum adolescentis principis mores, ingeniũ, modestia nõ solũ optimo regi, sed oĩbus aulæ illius proceribus probata sit. Quin ẽt illum dignum censuerũt nobiliss. matrimonio, quod vnũ pater maxime cupiebat, vt decoraretur. Illi igitur fuit auctor Rex, vt ex filiabus Ferdinãdi Imperatoris, qui illi erat patruus, quæ neptes fuerãt Caroli V. quaq; Maximilianum fratrem Imperatorem designatum habebant IOANNA vxor traderetur. quo sibi vt animis, ita coniugio, sanguiniq; societate optimũ principẽ, & de se optimè meritũ, omnemq; illius familiã deuinciret. Ipseq; COSMUS filio, quo ad oẽm dignitatẽ, & ad res gerẽdas alacriorẽ redderet, atq; inflãmaret; oẽm Reip. administrationem maximi regni imperiũ, opes, arma, oĩa regnandi instrumenta cõmisit. illiusq; iussis, atq; institutis oẽs parere voluit. Ipse interea cũ mente esset integerrima, vt nunquã antea magis, corpore vigenti, maxima gloria parta, ijs libenter, atq; ex aĩo filio datis, a quibus reliqui mortales ægrè se distrahi patiuntur, & ob quæ filij parentibus suspecti esse

solent

solent, quasi priuatus ætatem agere, amicis liberalius operā dare, lectione bonorum auctorū, historiarumq; auditione duci, villas suas atq; agros, quas mirificis ædificationibus, ornamentisq; & cultura eximia exornarat crebrius inuisere, nulla re magis, quā de oībus ciuibus, atque adeo de oībus hoībus bene merendo oblectari, & iis pcipue qui in aliquo genere eximij essent. Dies pfecto me deficiat si uelim singillatim referre, quot egregios in aliquo genere viros in sua vrbe, & vbiq; aluerit, auxerit, ornauerit. nemo fuit hac ætate paulo notior artifex, nemo miles illustrior, nemo litteris clarior, nemo pictura, aut statuaria paulo magis insignis, quibus operibus maxime delectabatur, et in quibus habebat iudiciū, et sensus eruditiss. nemo demū ingeniosior, quin ab illo amaretur, & in honore haberetur. Quorū opificū alacritate, et peritia est factū, vt regnum munitiss. oppidis, arcibusq;, instrumento omni, machinisq; ad bellum arcendum, inferendumue oportuno ita firmatum, munitumq; sit, vt nihil in toto terrarū orbe magis munitum, magis instructum reperiatur. Aula, publicæ, priuatæq; ædes, omnis demum vrbs, fana celeberrima tabulis, signis marmoreis, æreis, omniq; ornatus copia ita referta sunt, vt in pulcherrimā vrbē, atq; ornatiss. vndiq; omnia ornamenta confluxisse videantur. Piget inter sapientis animi opera referre me, quot locis, aut in agris, aut in oppidis ædes elegantiss. ad vsum, atq; ad amœnitatem construxerit. Tantis autem virtutibus, tot in Remp. christianam meritis, quā nunquam nec consilio, nec ope, nec pecunia iuuare, atq; honestare intermisit, PIUS V.

quem vnū Pont. Max. cōi consensu optimū dicere possumus, cum eximij principis, et præpotentis aīum, studiūq; illud nobile in christianā Rep. probasset, ppugnatoremq; illum piæ veræq; relligionis acriorē reddere vellet, aliosq; ad bene de christiana Rep. promerendum inuitare, quod vnum summæ pietatis, & solidæ virtutis esse posset argumentū, & nobiliss. ciuitatis, et semper optime de Romanis Pontific. meritæ ornamētū aurea corona donare, regijsque insignibus ornare instituit. Romā ad se accersit, & augusto, celeberrimoq; totius orbis terrarū theatro, maxima nobilissimorum virorū frequentia inter purpuratos patres coronā aureā illius capiti rite imposuit, regijsq; ornamētis, & titulis honestauit, causā et addidit iustitiæ .s. ergò, & beneuolētiæ, quā in veram Dei Ecclesiā habebat, & florentiss. ciuitatis amplitudinis, et dignitatis. quo honore nullus maior virtuti tribui potuit. Quod factum ab opt. Pontif. & verè pio, & qui vnus christianā Remp. summa non solum pietate, sed æquitate, & sapiētia rexit, argumentū erit ppetuum amplitudinis, dignitatis, virtutis, & gloriæ regiæ personæ, & ciuitatis nobilitatis. Maiestate igitur, et gloria hac princeps noster auctior factus, in omnia Reip. christianæ cōmoda vehementius incubuit. Cum ipso igitur Pontifice semp deinde copias iunxit ad hostes infensissimos Romanæ ecclesi. inuadendos, ad classem Turcarū quæ Italiæ imminebat perdendā, ad oīa alia obeunda, quæ illius dignitatē, & salutē defendere possent. qua in cura quod illi vitæ reliquum fuit traduxit. quod quidem nō multū fuit. Nā ex illo tpe robusta illa cor-

poris

poris vis tentari aliquātulū cœpit, pedibus æger esse, mox grauedine sæpe premi. quibus corporis incomodis animi magnitudine obstare nitebatur. Mox cum ingruentis morbi vis illū vehementius inuasisset, quod in eo optimum fuit, linguæ vsum, & manus ad scribendum ademit, omnibusq; penè mēbris resolutis fuit. vim tamen morbi audiendis doctis viris, & auctoribus, quos sibi recitari iubebat solabatur. Cumq; hoc modo aliquot menses vitā traduxisset, morbo tandem victus cessit, bonisq. omnibus lugentibus, ingens sui desideriū relinquens ad illas sempiternas sedes, vnde quinque, & quinquaginta annos ante ad seruandā patriā, honestandāq; diuini patris consilio demissus fuerat reuolauit. cuius quidem mors tantū dāni, mæroris, & luctus nunc affert, quantū boni suis ciuibus, & oībus Etruriæ populis, atq; adeo oībus mortalibus semper vita attulit. De quo quidem multa superessent dicenda, sed ex his quæ dicta sunt, cætera secū oīa reputātibus nota esse poterunt. Hoc.n. vsu fieri videmus, vt in quo vna ex nobilioribus virtutibus, aut plures reperiantur, cæteras ēt inesse necesse sit. hoc quidem postremo non omittendum illum a natura, & a fortuna donis fuisse ornatū quāplurimis, quod quidē per se nō ita laudabile est, sed illis optime, & ex virtute vsum esse hoc, & laudabile est, & præ se ferendum. Finxit quidem illū natura aīo, & corpore excellenti, sed memoriā docilitatē, sollertiā, postremo oīa ingenij bona ad res honestiss. ad optime de patria, de christiana pietate, de omni hominū genere promerendū adhibuisse, hoc vero laudabile est, & prædicandū. Pulcherrimam

cherrimã habuisse speciẽ,corpus vegetũ, laborũ patiens, viribus robustũ,est equidẽ optabile,ac bonũ,sed oẽs corporis actiones summa rõne,ac virtute ad honestatẽ, ad decus,ad gloriã semp direxisse,hoc quidẽ efferendũ et maximis laudibus extollendũ.Originẽ duxisse e nobiliss.gente,ex parente fortiss.in clariss. patria,& libera,ciuẽ esse natũ,occasionem habuiße augendæ dignitatis,hoc quidẽ fortunatũ,atq; optabile est.Sed quibus laudibus prosequemur eũ,qui nõ solũ suæ nobilitati parẽ se pbet,sed eã amplificat? Qui parentem virtutibus,rebus gestis insignem longo interuallo relinquit? qui patriã,quã accepit humilem,debilem,inopẽ firmauit,erexit,auxit,extulit? & cui nõ solũ saluti,sed ẽt decori fuit?Qui oblatã sibi occasionẽ ad publicã salutem,ad ciuiũ cõmoda, ad omnes mortales beneficijs afficiendos,ornandosq; arripuit,atq.vsurpauit? cuius in manu cũ esset ius publicũ,et priuatum in distribuendo,reddendoq; vnicuiq; quod suũ fuit ea est vsus aequitate,vt nõ solũ ciues,et illi qui illius imperio paruerunt sibi sua iura seruata esse glorientur, sed huius boni fructũ exteri etiã hõies senserint hunc quibus tandem laudibus efferemus? quib⁹ honoribus psequemur? q̃ digna præmia tribuemus? Ad principatũ suæ ciuitatis adolescentem esse euectũ,summã auctoritatem,et potestatem fuisse datã, siue id fortunæ, siue virtuti ascribas laudabile quidem est,& fortunatum simul.sed in tanta potestate, in tãtis opibus,in feruore ætatis ab omni libidine, illecebraq; voluptatis mentem,oculos auertiße:suosq; omnes cohibuisse, hoc quidem in iuuene,ac principe vix credibile est. Pro-

creasse sobolem multiplicem, pulcherrimamq; vidisse Ioannem filium purpureo galero insignem, Garziā pontificijs florentinisq; triremibus ducem designatum, Lucretiā filiam apud Alfonsum Ferrariæ Ducem in matrimonio collocatā, hoc quidem est fortunatū. sed breui temporis spatio audisse filiā eandem Ferrariæ Ducem diem suum sine liberis obijsse, Ioannem Cardinalem grauiss. morbo correptū, intra quattuor dies in suo sinu vitā exhalasse. paucis interpositis diebus Garziam ore, specieq; venustissima, & maxima spe parentum delicias in ipso adolescentiæ limine iniquo fato prærept um, mox Eleonorā suauissimam vxorem diu morbo conflictatam, quam vnā semper mirifice dilexerat desiderio filiorum, & morbo confectam obijsse hæc vidisse, fortiss. animo tulisse, alios solatum esse, dolorem abstersisse, non illacrimasse, ac ne ingemuisse quidem, hoc vix humanum, potiusq; à diuina quadā natura, quā ab humano ingenio factum videtur. Hunc quidem virum antiqua ætas, et humaniores illæ nationes in numerum Deorum retulissent, & diuinis honoribus coluissent. nunc autem quod humanæ virtuti satis esse visum est regijs ornamentis est ornatus. Quem puto remota contentione futura sæcula nō solū regijs ornamentis, coronaq; dignū, sed & Regem, et optimū Regem existimatura, & appellatura. Quod .n. ad illum pertinuit honore dignū se præbuisse satis habebat. sed sibi, suæq; patriæ oblatū decus, posterisq; ornamentū neglexisse nō oportuit. meritò q̄dem illustriss. Principes filij ornatiss. ciues hūc principē lugemus, merito Dux magne fili iure, natura, &

ra, &

& similitudine morum hæres illum postremo hoc honore celebras, illiusq; gloriam clarorum virorum linguis, scriptisq; sempiternæ memoriæ commendari cupis, illiusq; vultus in marmor, in æs, in nobilem quamuis materiam excudendos, nobilissimorumq; Pictorũ artibus effingendos curas. quod pij, & grati animi est argumentum. Sed nullum doctissimorum hominum studium est tam acre, nulla ars tam eximia, nulla materia tam nobilis, qua illum magis delectari credam, nec quo magis illius gloria cumulari possit, quam si eadem vestigia, quibus ille ad altissimam dignitatem est euectus vrgere te sentiat. Hoc.n. tale est, vt ad illius memoriam, & fœlicitatem nihil addi possit. Quod facis per te, & illius exemplis multos iam annos Magne Dux inclite, & facies in posterum multo magis. Hac enim re ipsum verũ, viuumq; COSMUM nobis semper repræsentabis, luctum ingentem, quo omnes tui, ciuitasq; omnis affl ctatur lenies, tibi parem gloriam parabis, patriæ, cui omnes omnia, & principes maxima debent satisfacies. quæ nunc ob desiderium parentis luctu & mœrore confecta in tua caritate. atq; æquitate conquiescit. DIXI.

FLORENTIAE
Apud Iuntas M D LXXIIII.